

Dissertatio medica inauguralis de epilepsia ... / defendet Franc. Henric. Joseph Karcher.

Contributors

Karcher, Franciscus Henricus Joseph.

Publication/Creation

Argentorati : Typis viduae Michaelis Storckii, [1725]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/bkdkfsvt>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

B. C. D.
DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE
EPILEPSIA,

QUAM
ADJUVANTE DEO,
Ex Decreto Gratiostissimæ Facultatis
Medicæ

In REGIA Argentoratensis Universitate
PRO LICENTIA
Summos in Arte Medica honores
& *Privilegia Doctoralia legitimè consequendi*
Ad diem 23 Maij M DCC XXV.
Horis locoque solitis

In solenni Eruditorum Confessu defendet
FRANC HENRIC JOSEPH KARCHER
Selestadiensis , J. U. Licent.

ARGENTORATI, Typis Viduæ MICHAELIS STORCKII,
Universit. Cathol. Typogr.

**DEO,
PATRIAE,
PATRONIS,
PARENTIBUS,
ET
AMICIS.**



Proæmium.



OTUM omnem corporis fieri per FIBRAS vel in musculum collectas vel in membranam intertextas ope SPIRITUUM ANIMALIUM vel, quod idem est, SUCCI NERVEI per nervos tum ex cerebro, unde motus voluntarius provenit, tum ex cerebello, unde involuntarius oritur, in eas influentis, concurrente tamen sanguinis adjumento, communis est opinio; pro di verso itaque spirituum horum in partes influxu, diversi quoque motus oriuntur, hinc aliquando planè deficit, ut in PARALYSI, aliquando depravatur, ut in TREMORE, quandoque verò prater ordinem augetur, ut in SPASMO seu CONVULSIONE, hocque dupliciter; nunc enim membra ultrò citrōque invitè contrahuntur & extenduntur, quod sub nomine CONVULSIONIS CLONICÆ venit, nunc verò

membrum contractum rigidum sine vibratio-
 ne permanet, & dicitur CONVULSIO TO-
 NICA. Ad primam classem EPILEPSIAM,
 morbum quoad theoriam aquè ac praxin,
 quod agrotantium non minus quam Practi-
 corum querela abundè testantur, satis intri-
 catum, pertinere, nullus, opinor, dubitat;
 cuius paulò accuratiorem delineationem spe-
 ciminis inauguralis loco instituere consultum
 duxi. Evidem de tristissimo hoc affectu sa-
 pissimè jam inter Eruditos disputatum fuit,
 & propterea mihi objicere quis posset, me
 crambem sapius recoctam apponere, verùm
 cum de morbis tractaturo vix materia super-
 fit, qua non permultis vicibus agitata fue-
 rit, facile me veniam impetraturum spero,
 quod & diri hujus morbi examen instituam,
 præsertim cum Tyronibus lectiones lectæ pla-
 cere, & decies repetita haud displicere de-
 beant. Dum autem hoc aggredior, ut DI-
 VINUM NUMEN conatur meo qualicun-
 que ex alto benedicat, ardentibus precor su-
 spiriis: TE verè L. B. ut aquam de labore
 feras sententiam, subnixè rogo.

Caput I^{mum}.

Definitionem nominalem, realem, subjectum & causas delineat.

§. I.

MOrbi hujus, nimirum *EPILEPSIAE*, denominationis rationem græca lingua reddit, si quidem ab ἐπιλαμβάνω, invado, corripiō, prehendo, quia subitō mentem sensusque omnes prchendit, derivatur. Varias apud Latinos non minūs quàm Germanos denominations obtinet; dicitur enim *MORBUS INFANTUM*, quia hi frequenter ob varias partim in utero, partim verò extra uterum collectas cruditates ab immane hoc hoste quantum patiuntur. Item *PUERILIS*, quoniam & isti ob nimiam voracitatem, minimēque servatam diætam, patulas huic malo præbent januas. *MORBUS CADUCUS*, à casu & lapsu ægri subito; *COMITIALIS*, quoniam Romæ olim Comitia solvebantur, si quis hoc morbo corriperetur; nonnullis *MORBUS SACER*, quod sacram corporis partem cerebrum perturbet; *HERCULEUS*, ab ejus immunitate, & *SONTICUS* ob maximam nocendi vim audit. Aliis verò *LUNATICUS*, vel quod in Novilunio nati hoc morbo corripi credebant, vel quod secundùm Lunæ conversiones suam hic morbus potissimum exercet atrociam

ciam appellatur, quibusdam verò **PEDITIO**, quia pedes in paroxismo inordinate moventur, vocatur, *vid.*
Avicenn. Tract. de Epileps. Aliquibus etiam **MENSALIS**
 seu **CONVIVALIS** ex eo, quod mensam accumbentes sæ-
 pè invadat, dicitur. *Vid. Christ. Joh. Lang. oper. disput. V.*
de morb. cad. pag. 58. Germanis verò die fallende **Sucht**/
 schwere Noth / der Jämmer / schwere oder böse Krank-
 heit / das schwere Gebrechen sc. nominatur.

§. II.

Est autem **EPILEPSIA**, AD ACTIONIS AUCTAE
 SYMPTOMATA PERTINENS, MOTUS CONVULSIVUS IN-
 VOLUNTARIUS ATQUE INORDINATUS OMNIUM PLUS
 MINUS CORPORIS PARTIUM, IN PRIMIS MANUUM ET
 PEDUM, NON PERPETUUS QUIDEM, SED QUI TEM-
 PORUM FIT INTERVALLIS, CUM SENSIUM TUM IN-
 TERNORUM TUM EXTERNORUM, ACTIONUM ANIMA-
 LIUM ET QUANDOQUE NATURALIVM LAESIONE. Mo-
 tum enim convulsivum, & quidem omnium haud rarò
 corporis partium violentum Epilepsiam dicere, imò &
 primum in convulsionum classe ipsi concedere locum,
 nemo ex omnibus, quos mihi hactenus evolvere licuit,
 Doctoribus hucusque dubitavit; manus verò & pedes
 præprimis convelli, hocque non continuò, sed per inter-
 valla fieri, cum nullus, cui vel semel epilepticum om-
 nino talem videre licuit, negare possit, comprobante
 insuper sensuum tam internorum quam externorum læ-
 sionem

sionem ipsâ ægrorum relatione, in explicandâ æquè ac probandâ definitione prolixior non ero, sed ad subiectum, quod tam horrendo torquetur malo, indagandum me accingo; illud tantummodo monens, me non comprehendere posse, quomodo hic morbus à principio agente rationali, semper in destructionem vitæ tendentes abominandos motus producente, salva ratione derivari queat.

§. III.

CEREBRUM unanimi fermè Medicorum consensu *PRIMARIUM* Epilepsiaë *SUBJECTUM* statuitur. *Quercetanus* quidem *Art. Med. pract. de Epileps. p. 114.* ob læsas cordis non minùs quàm cerebri actiones, cor hujus interdum morbi sedem accusat; verùm cum hæc ipsa *Quercetani* opinio à variis jam dudum Authoribus, præcipuè verò *Sennerto pract. Med. lib. i. part. 2. cap. 31. quæst. 2. p 652.* quò etiam L. B. remitto, inversa sit, unicè hic annotabo, minimè hic de loco generationis materiæ, quæ Epilepsiam excitat, sed quâ parte proximè & præcipuè affectâ epilepsia oriatur, quæstionem esse. Eam igitur *CEREBRVM*, omnium utpote, quæ in Epilepsia læduntur, actionum fontem ac causam, esse, non adeo ineptè creditur, & licet per consensum sæpius Cerebrum afficiatur, firma tamen manet sententia, symptomata Epilepsiam constituentia ex læsione potissimum Cerebri, visceribus reliquis, excepto forsitan illo in quo causa mali hæret, per consensum, quem cum cerebro per nervos

nervos habent, tantummodo affectis, dependere. Quoniam verò Cerebrum plurimis constat partibus, haud exiguum authorum hic observamus dissidium, dum alii Cerebri tantùm Ventriculos, nonnulli ejus Meatus, alii verò Cerebri Meditullium, plures exteriorem ejus Corticem, quidam verò Albam & Medullarem cerebri substantiam, multi glandulam Pinealem, Plexum Choroideum; alii verò Membranas primariò hic affici contendunt. Nullos verò rem acu omnino tetigisse, sed illos unicè qui Cerebrum indifferenter, maximè verò Membranas & Principium nervorum primarium hujus mali subjectum asserunt, à veritate laurum mereri, cum sanioribus nostræ ætatis Medicis existimo. His enim à quacunque causâ irritatis, spiritus quoque animales miris modis agitantur, perturbantur, & commoventur, spinalis medulla nervosaque corpora in consensum trahuntur, ita ut à vellicatione membranarum aut nervorum, omnes deinde Musculi per quos illi distribuantur, utpote motûs organa, simul afficiantur & convellantur. Ut autem meliorem, à quibus hic affectus potissimum dependet, CAUSARUM acquiramus cognitionem, necessarium esse puto eas dividere in PROXIMAM seu IMMEDIATAM, & ANTECEDENTES.

§. IV.

Quia autem in limine statim hujus dissertationis Spiritus Animales principale motûs omnis organon existere, eosque naturaliter constitutos regularem, minùs verò tales

tales irregularem edere motum annotavi , cum præterea formalis Epilepsia ratio in motu præternaturaliter aucto consistat, non immerito quoque *SPIRITUS ANIMALES A QUACUMQUE CAUSA PERTURBATOS, NIMIOQUE IN MUSCULORUM VILLOS IMPETU IRRUENTES, CAUSAM EIUS PROXIMAM ET IMMEDIATAM* dixero. Verùm antecedentes, si ullius, hujus certè morbi causas designare arduum est, ita ut non immerito (ut verbis *Sennerti* utar) *Magnus ille Medicus Joannes Crato ad Zuvingerum in epistolis à Scholtzio collectis*, epistola 137. scripsisse videatur: *utinam ante vitæ meæ exitum veram hujus mali dignotionem, & verum remedium quis ostenderet!* unde certè in diversas adeò Authores abiisse sententias mirandum non est. Verùm liceat mihi relictis aliorum rationibus illam amplecti sententiam , quæ OMNE ID, *QUOD SPIRITUS ANIMALES QUACUNQUE RATIONE IRRITARE, AUT INORDINATE COMMovere POTEST, CAUSAM ANTECEDENTEM* afferit , & pro ratione subjectorum vel plethoram , vel abundantem quamcumque humorum acrimoniam affectum talem producere putat. Quam etiam sententiam ab Authoribus allegatae observationes & causæ , quibus suos hic morbus natales debet , abundè comprobare videntur , sic Epilepsiam à tumore duro & rotundo in capite hærente ortam testatur *Bartholomæus de Moor* cap. 13. de *morb. cad.* pag. 404. Eodem modo è *Rhodio Bonetus* refert Epilepsiam obortam à carnosῳ tuberculo in cerebri ventriculo contento *sepulchr. l. 1. sect. 12. obs. 26.* Ita Epilepsiam à sanguine factam describit *Salius de Cur. morb. particul. c. 3. Schenck p. 115.* A bile quoque Epilepsiam

Epsiam produci posse impossibile non est, cum hæc natu-
ra stimulante & vellicante sit prædita, & ipse Galenus s.
de loc. aff. epilepticos superveniente vomitu bilioso cura-
tos fuisse memoriæ prodiderit. *vid. Zacut. Lusit. Med. Pr.*
Hist. l. I. p. 36. ut & ipsissimam quoque Epilepsiaæ causam
esse serosam colluviem fervore quodam concepto im-
petum facientem, violenterque principia nervorum
præsertim spinalis medullæ & sexti septimique, ex ejus
opinione, parium distendentem multis illustrat obser-
vationibus *Carolus Piso observ. morbor. à serosa colluvie p.*
101. seq. sic etiam Epilepsiam ab ipso cranio depresso vel
carioso *Forestus l. 10. obs. 67. in schol. p. 391.* *Vidus Vidius*
lib. 2. de morb. partic. cap. proprio. aut ab ejusdem squam-
mulis pungentibus *Leo Faventin. de med. morb. c. II. à ma-*
teria purulenta & sanie ex abscessu cerebri, vel membra-
narum ejus corruptione Severinus de abscess. fol. 116.
Schenck l. I. obs. 4. Fernel 5. Pathol. c. 3. & de abdit. rerum
caus. l. 2. c. II. & 15. imò à quovis corpore toto genere p. n.
in capite genito & contento, ut sunt lapides, Schenck l.
I. obs. 81. vermes, (à quibus etiam vel in ventriculo vel
in intestinis hærentibus hunc affectum sæpiùs productum
esse experientia testatur) scorpio, Holler. l. I. de morb.
intern. cap. I. oriri posse ostendunt. Huc quoque fa-
ciunt capitis læsiones ex ictu & percussione Joh. Lang.
libr. 10. Epist. 10. *Vulnera item, Valescus de Tarant. cap.*
propr. quæ certè neque per Willisii effervescentiam ex
particulis nitro-sulphureis cum spirituo-salinis oriun-
dam, neque per Galeni, aliorumque qui cum sequuntur

Medi-

Medicorum, humores pituitosos & melancholicos in cerebro turbam moventes, nec *Barbette* lympham acrem, *Deckeri* lympham acido-austeram, virus illud inebrians soporiferum & quodammodo furiosum *Helmontii*, de le *Boë Sylvii* spiritum acidum volatilem, *Ettmüller* acidum nervis inimicum &c. unicè explicari possunt. Præterea, cum acrimoniam unam & què ac aliam spiritus animales, utpote purissimos & ad omnem rem indifferentes, irritare posse ratio demonstrat, quid opus est ad specificam quandam omnibusque hac ratione epilepticis communem qualitatem confugere. Cum autem ex allatis hucusque variorum Authorum observationibus causæ hujus morbi præternaturales quoad maximam partem colligi possint, ad causas jam naturales & non naturales progrediendum est.

§. V.

Ex *CAUSIS* autem *NATURALIBUS* primo loco se offert quando morbus cum *SEMINA ET SANGUINE A PARENTIBVS IN LIBROS* propagatur, unde *MORBVS* hic fit *HAEREDITARIVS*. Cui accedit *PRAVA MATRIS* utero gestientis *IMAGINATIO & PERTERREFACTIO*, quæ sæpè hoc malum produxit, cuiusmodi exemplum apud *Guilielmum Fabricium cent. 3. obs. 3.* haberi potest. Huc quoque pertinet *TEMPERAMENTVM MELANCHOLICVM*, utpote quod sanguine spissiore abundans obstructionibus, hincque dependentibus sæpiissimè humorum dyscrasiis maximè obnoxium teste *Hippocr. lib. 6.*

de morb. vulg. cui meritò annumerari potest *TEMPERAMENTVM CHOLERICVM*, animi quippe Pathematibus
 (quæ quid ad hunc affectum conferant, intra patebit) præ aliis deditum. *AEtas* porrò *PVERILIS* juxta *Hippocr.*
Sect. 3. aph. 25. & l. 3. præf. 36. tum ob humidam puerorum temperiem & membrorum debilitatem, cum
 nervuli ipsorum insigni sint præditi mollitie, quos facile causa peccans accendentibus etiam aliis causis externis
 vellicare & ferire potest, tum si in infantia ex crasso, ca-
 seoso, multisque excrementis scatente nutricis laetè hu-
 mores corruptos cumularint, præprimis cum & *LAC*, ut
 opinatur *Horstius Dec. 2. probl. qu. 9. in ventriculo AGES-*
CENS in æruginosum ac viride quoddam virus vitriola-
 tum facilè degeneret, comitialis morbi insultus sæpius
 experitur. Ex *CAVSIS* verò *NON NATURALIBVS* seu
 procatacticis agmen & choreas dicit *AER*, cuius ni-
 mia non tantum frigiditas & humiditas juxta *Hippocr.*
Aphor. 16. Sect. 3. sed etiam caliditas humorum motum
 immutare, ac cerebrum facilè offendere potest. *Hipp. l.*
de morb. sacr. Idem quoque facit decubitus in terrâ,
 mora in aëre vitioso & sole diuturnior *Galen. Comm. Aph.*
29. S. 3. Si enim hæc sanos etiam in gravem capitis do-
 lorem, vertiginem &c. conjicere possunt, mirum certè
 viderinon debet, si ad morbum caducum dispositos in
 novum præcipitent paroxysmum. Deinde etiam subi-
 tanæ & inconstantes aëris mutationes, aut aër pa-
 ludum, lacuum, aliorumve putrescentium vaporum,
 fœtidorum ac grave-olentium effluviorum qual-
 tate

tate commixtus hunc morbum facile producunt, teste *Hippocr.* *Aph.* 20. & 23. *S. 3.* *LVNAE* quoque *PHASES* ad hunc morbum producendum conspirare experientia, qua paroxysmos epilepticos Lunæ mutationes sæpè sæpiùs comitari constat, confirmare vult, quem effectum alii ab influxu astrali, alii verò, & ut credo rectius forsan, à pressione mutationeque aëris deducunt. Secundum sibi locum vendicat *CIBVS* vel quantitate vel qualitate peccans. Sic cibi excrementitii, grave-olentes & facile corruptibles, licet non in omnibus Epilepsiam inducant, frequentius tamen quàm aliàs ad Epilepsiarum generationem faciunt. Ita ex esu fructuum horæorum crudorum, & lactis nimia ingurgitatione puellam Epilepsiam correptam fuisse refert *Francis. Hildesheim Spicileg. pag. 599.* sic & fungis *Sennert. l. 6. pr. p. 300.* & Studiosum quendam ex anguillarum esu in Epilepsiam incidisse, hisq; per vomitum rejectis evasisse refert *Forest. l. 10. obs. 57.* *Schol.* Et puerum ex esu brassicæ capitatae concisæ, & more Germanorum sale conditæ (quæ Germanis audit *Sauer-Raut*) Epilepsia correptum, & ex tristissimorum complexu parentum à Libitina raptum fuisse observavit *Joan. Dolæus Encycloped. Med. theoret. pract. lib. I. cap. 9. de Epileps. p. 127.* Sic etiam allia, cepas, apium, carnes hædorum & caprarum, hepar hircinum & caprinum, passerum cerebella, ut & frequens tuberum ac cothurnicum esus peculiari quadam hunc morbum excitandi facultate pollere diversæ Authorum observationes testari volunt. An autem hæc omnia æquè sint noxia aliis disqui-

rendum relinquō. Quæ verò de cibo annotavi, de *POTV* etiam quantitate vel qualitate peccante dicenda sunt. Vini nempe immodicum usum & ad crapulam sæpè assumptum hunc producere affectum præter alios *Galenus Comm.* *S. 3. Aph. 29.* & alibi annotat. Sic & notatu dignam de muliere quadam historiam, quæ ex inconvenienti acidularum SchWalbacensium usu, & superbibitione laetis caprilli in Epilepsiam lethalem incidit, *Horstius obs. l. 2. 9. p. 100.* refert. Quid dicam de immoderata spiritus vini, aliorumque liquorum spirituosorum ingurgitatione non adeò raro dirum hunc affectum inducente.

§. VI.

MOTVM quoque IMMODERATVM & QUIETEM DIVTVRNIOREM, SOMNVM & VIGILIAS NIMIAS portam huic malo pandere, vix ullus, qui horum effectus perspectos habet, dubitare potest. Motus enim immoderatus humores commovendo & exagitando, quies verò & otium diuturnum sanguinem non tantum magis lentum producendo, sed & insensibilem transpirationem, hincque dependentem excrementorum evacuationem impediendo, quin & somnus nimius præprimis verò meridianus ac immediatè post pastum institutus, alimentorum concoctionem minùs promovendo, ut & vigiliæ immoderatae corpus exhaustendo humorumque inspissationem producendo non possunt non multum ad hunc affectum producendum conferre. Quid etiam ad disponendum homines ad morbum caducum *EXCRETA & RETENTA* faciant plurimæ ab Authoribus hinc inde alle-

allegatae observationes abundè probant, Sic ex mensium obstructione hunc affectum ortum esse refert de puella *Benivenius de abdit. morb. caus. & curat. cap. 97.* ex secundinis retentis vel ex utero imperforato *Guilielmus Fabricius cent. 3. obs. 60.* ex urinæ suppressione *Heurnius de morb. cap. p. 163.* ex seminis retentione *Forest. lib. 10 obs. 66.* Sic refert *Schenckius l. 1. obs. 199.* patrem & filium scabie laborantes ex intempestivâ materiæ repulsione, illum in palpitationem cordis, hunc in Epilepsiam incidisse. Nimia quoque venus & spiritus animales exhauriendo & sanguinem effoetum reddendo ad hunc morbum vel excitandum vel etiam aggravandum non parum facit. Ex ira etiam, ut ad *ANIMI PATHEMATA* deveniam, *Galen. 5. de loc. Aſt. cap. 6. Joh. Baptist Montanus Conf. 41.* ex conspectu V. Sectionis *Salmuth. cent. 2. obs. 73.* à terrore ex inopinata aquæ perfusione *Camerar. Sillog. commemorab. cent. 26.* ex tonitru, clangore tubarum, cuius exemplum apud *Johan. Math. à gradibus in 9. Rhasis Forestus lib. II. in schol. obs. 54.* ob fratrem subito mortuum *Amatus Lusitanus cent. 12. curat. 90.* ob decollationem spectatam *Martinus Weinrich. de monſtris cap. 15.* Epilepticum cadentem *Christoph. à Vega lib. 3. de arte Med. cap. 12.* Epilepsiam excitatam esse narrant. Non minùs etiam per jocum incuslus metus & terror infaustæ hujus sobolis parentes fiunt. Metus enim quantum hic valeat vel ex illo patet exemplo, cuius mentionem facit *Platerus tom. I. Prax. cap. 3. p. III. de puella quæ pendente extra urbem in patibulo intuita, melancholica & epileptica invasit.* Huc quoque pertinet illud à *Christ. Joan.*

Joan. Lang. Disput. de morb. caduco observatum exemplum de serva quadam Lipsiæ ligulam tribus nodis constrictam inveniente , quæ dum tertium horum solvit , sibi imaginata est à saga quadam per fascinationem nexam fuisse , & paucō interjecto tempore Epilepsiam gravissimam incucurrit , de quâ tamen eam à se liberatam esse ipse subnecit . Hæc autem de causis dixisse sufficient.

Caput II^{dum}.

Signa Diagnostica , Distinctiva , & Prognostica exhibet.

§. I.

Antequam autem de signis diagnosticis aliquid dicam , eximia hic discuti posset quæstio ; *CVR* nimirum *EPILEPTICI INSULTUS PER PAROXISMOS , ET STATIS QUANDOQUE TEMPORIBUS REDEANT?* Maximus circa hanc rem Authorum est dissensus , aliis ad animam & principium vitale atque Archæum confidentibus , aliis in Lunæ influxu rationem querentibus , aliis aliam excogitantibus causam , forsitan , in quibusdam saltem casibus , eandem Epilepsia cum febribus aliquibus intermittentibus rationem esse dicere liceret . Ab una videlicet vel pluribus ex causis procatarcticis quædam sanguinis & chyli disproprio oritur , unde cruditates à chylo non probè subacto oriundæ succrescunt , quæ , cum

cum sanguini multò minùs sequaces sint, arctiora ejusdem colatoria, exilioresque, ad arteriarum latera & fines, meatus pervadere nequeunt, necessariò igitur ibidem hærent, donec acrimoniam huic morbo excitando sufficientem contraxerint, vel ab alia quacunque causa citius commotæ fuerint, hinc partes circumcirca sensibiles ac nerveas vellicant, qua occasione spiritus impetuosiùs moventur, atque motu hoc præternaturali in parte nérvea ad cerebrum usque continuato, simul commoventur reliqui spiritus, ita ut aperto quasi tramite cum impetu per ipsos nervos ferantur, & ita convulsionem fibrarum istarum ac muscularum, ad quos terminantur nervi, inducant. Unde haud pauca Epilepsia symptomata desumere licet, quæ post aliquot tandem tempus, partim ob spirituum animalium dispendium, partim quia acrimonia balsamici sulphuris commercio plurimum mitigata est, desævire incipiunt, donec de novo ratione mox allegatâ paroxismus aliis suscitetur. Hæc autem de Epilepsia per consensum potius intelligenda sunt. De idiopathica verò supponendum est aliquid præternaturale in cerebro hærere, quod certis intervallis commotum, spirituum influxum placidum turbat, aut idem ipsis spiritibus permistum, eosdem vitiōsè agitat. Hinc jam etiam, cur alias paroxismus citius aut tardiùs (ob cruditates nempe modo tenuiores, modo crassiores, adeoque ad acrimoniam plus minusve citò contrahendam aptiores) eveniat, item cur alii imminentem longè quandoque ante paroxismum, alii ve-

rò non, uti infrà de differentiis dicendum erit, præsentiant, facile concludi potest. Verùm ne diutius quām pars est his immorer, ad signa hujus affectus diagnostica progredior.

§. II.

De his autem notandum ea indicare Epilepsiam vel instantem vel præsentem, quibus tamen, cum Medico parum negotii faceant, non multum immorabor. Quis enim ex vertigine subitanea, aurium tinnitus, capitis gravitate, sensuum hebetudine, insolitâ rerum earum, quæ firmiter antea memoriæ inhæserant, oblivione, faciei pallore aut livore, oscitatione frequenti, sternutatione crebriori, variorum splendorum atque colorum, iridem quasi repræsentantium, apparitionibus, nervorum trepidatione, insolito membrorum omnium torpore ac lassitudine, cordis palpitatione, odoris fœtidi sensu &c. imminentem non concluderet? neque etiam vulgus (ut verbis clarissimi *Langii* utar) dum subiectum ex improviso non tam concidit, quām cum impetu quodam, ita ut sæpè pars primò in terram aut corpora adjacentia allisa livore aut vulnere afficiatur, prosternitur, totum corpus (maximè verò pollices digitique manuum, quos in manu abscondunt,) convelliatur, caputque sæpius alliditur, brachia & crura, quin imò cervix & dorsum variis huc illuc flexionibus distorquentur, æger quandoque pectus immaniter contundit,

dit, nec audit nec videt, interdum vociferatur, vocemque inconcinnam edit, aut cum stertore spiritum sonorum emittit, stridor dentium supervenit, spuma ex ore profluit, urina interdum, fæces, & genitura excernitur, de Epilepsia præsentia dubitat. Cum verò ab annotata supra causarum diversitate variæ quoque Epilepsia dependeant differentiæ, illas etiam jam hic apponere necessarium puto, priusquam tamen §^o. sequenti, quibus modis hic noster affectus ab aliis, qui aliquam cum eo convenientiam habere videntur, discrepet, demonstravero.

§. III.

Sunt autem præcipuè sequentes: *Apoplexia*, *Lethargus*, *Carus*, *Catalepsis*, *Vertigo*, *Spasmus*, *Incubus*, *Syncope*, & *Suffocatio uteri*. Quod Apoplexiā igitur primò attinet, differt ea à morbo Comitiali i. quod in illa motus sit sublatus, in hac verò præternaturaliter auëtus. 2. Illa senibus magis accidit, hæc verò pueris familiarior. 3. Illa si solvatur, ut plurimūm desinit in paralysin, hanc autem rarissimè membrorum resolutio excipit teste *Galenol. 14 de loc. aff. c. 2.* A Lethargo porro & caro differt, quod illi pedetentim invadere soleant, nullaque fiat convulsio, sed somno indulgeant ægri, rarissimè spuma circa os appareat, Epilepsia verò drepentè (saltem ut plurimūm) & in momento quasi cum convulsionibus membrorumq; distortionibus opprimit,

vigilantibus accidit , spumaque ferè semper adesse solet . A Catalepsi item distinguitur , quod in hac totum corpus rigidum permaneat , nec membra flectantur , sed in eodem quo prehensi statu apertis ac immotis oculis , statuæ alicujus ad instar ægri permaneant ; quæ omnia secùs in Epilepsia accidere , ex traditâ superiùs ejus historia cognosci potest . Differt à vertigine , quod sensus in hac penitus non auferantur , sed solummodo depraventur , nec ulla muscularum , aut membrorum contractio adsit . A spasmo atque tetano differt , quod in his motus contractivus tensiusve continuus , in Epilepsia verò interruptus deprehendatur . Incubum autem quod concernit , ille dormientibus , præprimis verò post largiorem cœnam dorso incumbentibus , cum motu difficulti , torpido sensu , falso ponderis thoraci incumbentis insomnio , & cordis anxietate accidit ; secùs verò fit in Epilepsia . A Syncope etiam distinguitur , quod in hac nulla adsit convulsio , sed omnia membra rigida & algida sudoreque frigido madentia cernantur , quod in morbo sacro minimè accidere solet . Ab uteri demùm suffocatione ex eo , quod mulieres quandoque vocatæ audiant , punctæ sentiant , intelligent , eorumque quæ in paroxysmo secum actâ fuère recordentur , Epileptici verò nec quicquam eorum , quæ sibi contigère , sciant , eam discernerere licet . vid . Barthol . de Moor Pathol . cerebri de morb . cad . p . 363 . Accedit etiam , quod in hac pollex firmiter palmæ manus sit inclusus , quod secùs esse in passione hysterica vid . apud cundem l . c . p . 426 . jam verò ad differentias .

§. IV.

Circa has verò notandum, hunc affectum non uno eodemque sed diverso incedere vultu. Alia enim *LEVIS* est, cuius paroxismi citò desinunt, ægerque non toto corpore, sed aliquæ saltem partes convelluntur, & vel caput saltem concutitur, vel oculi contorquentur, vel manus ac pedes hinc indè jactantur, vel manus clausæ tenentur, neque concidit, sed vel in gyrum agitur, aut hinc inde discurrit patiens; sic non cadentem observavit *Marcell. Donat. lib. 2. Hist. Med. mirab. cap. 4.* stantem *Antonius Benivenius de abdit. morb. caus. cap. 97.* sedentem *Dodonæus in schol. ad cap. Benivenii allegat. cursitantem Erastus in Anatom. librorum Comitis Montan. part. 2. p. 195.* Alia verò *GRAVIS* est, cuius paroxismi diu durant, & ubi æger symptomatibus §°. 2. recensitis vel omnibus, vel saltem gravioribus vexatur, ita ut sæpiùs pro obfesso à dæmone haberetur, nisi Medici scientia ipsius innocentiam defenderet. Alia porro est *HAEREDITARIA* & congenita, quando vel à parentibus epilepticis in liberos transplantatur, vel à prava matris utero gestientis imaginatione in foetum derivatur; vel à mala cerebri aut alterius partis plus minùs nobilis conformatioне homini ut plurimum incurabilis connascitur. Alia verò est *ADVENTITIA* seu adscititia, quæ jam genitis ex quaunque post nativitatem causâ obtingit. Alia rursus est *RECENS*, alia verò altas jam in corpore egit radices,

atque *INVETERATA* dicitur. Sic etiam alia est *PRIMARIA* quæ nullo præcedente morbo incipit, alia *SECUNDARIA* quæ alium subsequitur morbum, alia *SOLITARIA* nulloque alio morbo connexa, alia verò cum *ALIIS AFFECTIBUS CONIUNCTA* est v. g. cum hydrocephalo vid. *Zach. Quæst. Med. legal. tom. 3. p. 1. n. 1.* cum apoplexia *Erastus part. 4. disput. contra Paracels. p. 53.* cum paralysi *Schenck lib. 1. obs. 28.* cum melancholia idem *obs. 205.* cum syncope *Stæchius Med. pract. l. 7. c. 3.* cum Hystericis affectionibus *Forest. lib. 10. obs. 30.* alia *STATAM SERVAT PERIODUM*, & vel singulis annis semel vel bis, vel singulis mensibus in Novi & Pleni lunio, vel brevioribus intervallis, sed iis statis & certis invadit, alia verò *NON SERVAT PERIODOS*, sed nunc sæpiùs nunc rariùs, nunc per breviora nunc per longiora intervalla infestat. Ita ratione subjecti, alia est *INFANTUM*, alia *PUERORUM* seu *ADOLESCENTUM*, alia *MULIERUM*, alia *VIRGINUM* &c. item à modo grassationis alia est *ENDEMIA*, qualis in Florentia observata fuisse fertur, alia verò est *SPORADICA*. Præter plures autem has differentias duplex potissimum ex causis deductum communi Authorum calculo statuitur discrimen, nunc enim cerebrum *IDIOPATHICE* seu per *ESSENTIAM*, quando formes mali ibi locorum ortum suum habet, quod ferè conjicere licet, quando ægri subitò & sine ulteriori ferè paroxismi imminentis præsensu concidunt, & non rarò propter ademptam omnem iis notitiam & providentiam in ignem aut aquam præcipitantur, nunc verò *SYM-*

PATHICE seu *PER CONSENSUM* aliarum partium tum
internarum v. g. ventriculi, uteri, intestinorum &c.
tum externarum v. g. ulcerum, vulnerum, contusio-
num &c. laborat. Sic, ut alia quæ hic adducere possem
exempla omittam, ortum fuisse hunc affectum à sinistro
pedis pollice læso, quendam accuratè observâsse Joan.
Dolæus in Encyclopedia Med. Theoretico-pract. p. 118. re-
censet. Ubi verò ut plurimùm præter successivam fibra-
rum leviorem contracturam secundùm nervi distributio-
nes, sursum cum formicationis quodam sensu conti-
nuatam & auram repentem repræsentantem, quæ pa-
roxismum ordinariò prænunciat, propria cuiuslibet
partis, cui suos hoc malum natales debet, affectæ signa
adesse deprehenduntur. Sic si è ventriculo, turbatio
& rosio in eodem, gravitas & tensio circa præcordia,
appetitus dejectus, concoctionis debilitas, ructus, alia-
que ventriculi affecti signa adsunt. Si verò à vermisbus,
narium præprimis pruritus & frictio, salivæ nocturno præ-
sertim tempore ex ore effluxus, facies pallida, eadem-
que subitò rursus incalescens & rubens, morsus ac do-
lor stomachi & intestinorum, & hinc frequens abdo-
minis contrectatio, rugitus ac tormina ventris, abdo-
minis insolita durities, membrorum atrophia, tussis
quandoque sicca & singultus, vermiumque cum alvi
excrementis egestio animadvertitur. Et sic de cæteris,
quibus, cum partim ex relatione ægri patere possint,
partim ab Authoribus singulis subjuncta sint affectibus,
non immorabor, sed prognosin aggredior.

§. V.

Quemadmodum autem in omnibus morbis, ita & in primis in hoc, judicium suspensum habere, ne, si forte non respondeat eventus, ludibrio exponatur Medicus, consultum est. Cautè tamen procedere hac in re licebit, si attendatur 1. Epilepsiam omnem periculosum & longum malum esse, licet alia tamen alterâ periculosior sit, alia verò minus coniunctum habeat periculum, faciliusque curetur. 2. Epilepsiam hæreditariam ut & congenitam ob vitiatam totius corporis à natura dispositionem vel omnino nunquam vel rarissimè curari, eamque neque ætatem, neque Medicum discutere posse. 3. Recentem curatu faciliorem esse quam inveteratam, quemadmodum de cane vetulo proverbium ait, eum loris non asuescere, quum enim ætatem adeptus fuerit morbus, vix amplius curabilis est, & si in initio neglecta fuerit, frequentissimè usque ad ultimum vitæ diem saxum hoc Sisypheum miseri volvere coguntur. 4. Periculosiorem esse eam, in qua functiones animales omnes abolentur & convulsio vehementior est, frequenter ac diuturnior, atque excrementa spontè effluunt; licet enim plures quandoque ad annos sine præsenti vitæ periculo perduret, quandoque verò in stupiditatem & melancholiā incurabilem tristi metamorphosi mutata transeat, annotante celeberrimo Williso de *morb. convuls.* cap. 3. pag. 24. Paroxysmorum tamen vehementiâ aquè

æquè ac frequentiâ cerebri vitaliumque viscerum øconomiam adeò invertit, concutitque, ut suo ulterius officio diu fungi nequeant, imò in ipso non rarò paroxismo vitam ægro abrumpit. 5. Curatu faciliorem esse, quæ, licet sit crebior, breviores habet paroxismos, convulsionem minùs vehementem, & in qua æger liberiùs spirat. 6. Idiopathicam difficiliùs curari quàm sympatheticam. 7. Supervenientem gravidæ mulieri Epilepsiam, maximè si fortis illa sit, vel mortem vel abortum minari. 8. Quartanam Epilepsiaæ supervenientem eam solvere juxta Hipp. Sect. 5. aph. 70. 9. Epilepsiam ante pubertatem evenientem curabilem, post annum verò 25. ferè usque ad mortem utplurimum durare teste Hippocr. aph. 7. Sect. 5. his verbis: *Comitiales morbi, aut convulsiones epilepticae, quibus ante pubertatem eveniunt, curationem recipiunt, at quibus eæ eveniunt vigesimo quinto etatis anno, maximam partem commoriuntur.* 10. Epilepsia laborantes juniores tum ætatis, tum loci & victûs mutationem libera-re. Teste eodem aph. 45. Sect. 2. Potuissent utique, quæ de Theoria immanis hujus affectus dicta sunt ulterius diduci atque explanari, verùm quoniam pagellarum angustia illud minimè permittit, ideo ad hujus morbi curationem propero.

Caput III^{tum}.

Epileptiæ curationem tradit.

§. I.

Duo autem illa potissimum respicit, excitationem nimirum ægri in ipso paroxismo, & præservationem illius per remotionem causarum occisionalium. In ipso itaque paroxismo æger in loco frigido ac tenebricoso versatus in lucidiorem & calidiorem transferendus, capiteque sublimi collocandus est, tum dentes diducantur, linguaque exerta in os ultra dentes reducatur, patulumque os servetur interjetto cochleari vel ligno aliquo v.g. baculo liquiritiæ, qui, si ad manus est, ordinariò in usum vocari solet, aut alio instrumento, ut æger faciliùs spiret, spuma effluat, & inprimis, quod sæpiùs contigisse observatum est, ne linguam morsu lædat vel amputet. Constrictiones & integumentorum ligacula solvantur, clamoreque fortis in aures factio excitatio tentanda; hinc membra quoque convulsa, præprimis autem pollices & dorsi manuum, qui vehementissimè convelluntur, quantum sine ægrotantis damno fieri potest, in rectum, non vi, nam ossa inde luxata, imò aliquando fracta fuisse practici obser-vârunt, sed leniter extendantur, & ad quietem compo-nantur.

nantur. Revulsio instituatur per frictiones cum panno aspero ac ligaturas validas & dolorificas , quæ subinde laxandæ iterumque constringendæ sunt. Sal quoque non tantum commune , sed & aliud acre ori immitti , aut dentibus affricari potest. Dein volatilia v. g. succus Rutæ recentis , Spir. Sal. Armon. cum Castoreo & Oleo Succini, Rorismar Spir. & Sal volat. Corn. Cerv. Succin. Fulig. Tinct. Castor. item Castor. & Camphora cum Aceto Rutæ vel Lavend. Liquor Corn. Cerv. Succinat. Aquæ porrò Antepilepticæ & Antapoplecticæ variæ, quarum ingens apud Authores quoscunq; extat farrago, Balsama cephalica, Pulvis Salis Armoniaci cum pulvere Calcis vivæ recentis &c. naribus admoveri , vel ori etiam immitti , aut prudenter cum aliis specificis remixta in pharyngem per siphonem recurvum injici , seu etiam temporibus vertici ac suturæ inungi possunt. Quibus si non suscitatur æger, sunt qui suadent fortiora sternutatoria v. g. ex Rad. Pyrethr. Castor. Helleb. alb. Euphorb. Fol. Majoran. Rutæ &c. ut & Clysteres acriores v. g. ex Rad. Ireos, Pæon. Fol. Majoran. Salv. Rut. Beton. Flor. Lavend. Til. Sumit. Absinth. Centaur. min. Agaric. in pet. lig. vel etiam Croc. Metall. additis Elect. diaphœn. de bacc. laur. Bened. laxat. Mell. anthosat. &c. quibus tamen, cum partim ob paroxysmorum brevitatem sæpiissimè non requirantur, partim in fortioribus Epilepsis ob convulsum pariter & constrictum ani sphincterem applicari vix possint , diutius non immorabor. An autem *V. Sectio in ipso Epilepsie paroxysmo* administrari possit , cum plura apud Practicos

antiquos non minùs quàm recentiores boni & mali even-
tūs extent exempla , res est determinatu difficultima. Ne-
gativam inter alios defendit *Sennert. Pract. Med. lib. I. part.*
2. cap. 21. Quæst. 6 p. 658. Affirmativam autem præpri-
mis sustinet *Bartholomeus de Moor Pathol. cerebr. de morb.*
caduc. cap. 13. p. 658. ita ut quamcunque quis amplectatur
partem, reluctantes sibi habeat Doctores vix non expe-
rientissimos. Verùm , licet plures dentur casus , in qui-
bus venæ sectio vel ob paroxismos breviores , ita ut vix
advocari possit chirurgus , quin insultus diu sit supera-
tus , vel ob virium debilitatem , vel ob largas evacua-
tiones prægressas , vel alia quæcunque contraindicantia
celebrari non possit nec debeat ; negari tamen minimè
poterit dari sæpiissimè casus , ubi V. Sectio non tantum
absque ullo periculo in usum vocari potest , sed & ea
etiam requiritur. Quid ni enim homini plethorico ac
vegeto , lautæ ac spirituofæ aliàs diætæ assueto , postque
evacuationes sanguinis artificiales neglectas , vel natura-
les suppressas Epilepsia correpto venam secares ? imò &
extra hunc casum V. Sectionem quandoque , maximè si
Epilepsia recens , paroxismique protractiores sint , nisi
specialiùs quid contra indicet , non solum non prohibe-
rem , sed & cum maximo quandoque ægrotantium leva-
mine eam administrari posse putarem ; semper tamen
hoc in casu adstantes de dubio eventu advertendos
esse consulerem , ne forte Medicus , si eventus non se-
cundet , legis aquiliæ reus habeatur.

§. II.

Excitato autem hac ratione ægro, exantlatoque paroxismo opera omnis adhibenda ut recidiva præcaveatur, quod apprimè per remotionem causarum occasionalium tentari potest. Remedia autem quæ huic satisfacere possunt indicationi, ex triplici potissimum fonte, chirurgico nimirum, pharmaceutico atque diætico desumuntur. Ex generosis igitur, quæ è fonte chirurgico depromuntur remediis, primo loco se offert *P. SECTIO*, præstantissimum illud quod Medicina agnoscit remedium, miranda cuius efficacia, quemadmodum vix non in omnibus morbis, ita & in primis hoc in affectu, si nimirum plenitudinis notæ appareant, aut ex hæmorrhagiarum naturalium suppressione, vel artificialium consuetarum neglectu suos malum natales duxerit, cuilibet facilè perspecta esse potest. Sic *Zacutus Lusitan.* è *Rasē* habet exemplum frequentis Epilepsiaè è sanguinis copia subortæ V. sectione curatæ. Idem refert, quendam, sævissimâ Epilepsiaâ frequenter concussum, secundâ ex intervallis Saphenâ, ab ea præservatum *M. P. H. l. I. Hist. 26. & obs. 22.* vid. eundem in *praxi Med. admirand. l. 1. obs. 24. 26. 27.* ita & *Riverius obs. 38. cent. 4.* recenset historiam puellæ xij. annorum, post multa remedia frustra tentata, V. sectione liberatæ, unde & ipse colligit V. sectionem ad Epilepsiaè curationem plurimum conferre. Cujus tamen administrandæ locus, ut & sanguinis mit-

tendi copia pro ratione circumstantiarum viriumque robore plurimūm variare solet. Sic etiam illi quandoque *HIRUDINES*, si v. g. à suppressione hæmorrhoidum orta sit Epilepsia, substitui possunt. Huic autem præter *CUCURBITULAS & SCARIFICATIONES*, quæ magnarum quoque virium sæpiùs esse deprehenduntur, proximè insequuntur *VESICATORIA, FONTICULI, & SETACEA* cauterio actuali seu potentiali in partibus musculosis variis, præprimis autem nuchâ, excitata, quorum pariter efficacia in evacuando seroso latice, qui hujus affectus causa sæpius existit, à plurimis Authoribus deprædicatur. Ita, ut unicum hic adducam testimonium, solo setaceo se juvenem quotidie Epilepsî laborantem, & puellam octodecim annorum ab infantia Epilepticam restituisse *Guilhel. Fabrit. Hildanus Centur. obs. 41. & cent. 4. obs. 81.* refert. De quo tamen meritò etiam legi meretur observatio clarissimi *Willis* de puellâ epilepticâ, cui cauteria accidentaliter & casu excitata à morbi insultibus immunitatem præstitere vid. ejus *Opera cap. 3 de morb. convuls.* p. 28. Quod si autem hæc & alia auxilia parum ad hujus tyranni expugnationem conserrent, ad medicinam efficacem, *USTIONEM ac TREPANATIONEM &c.* (si scilicet cranii v. g. caries, aut pus acre sub cranio collectum, comitialis morbi causa existeret) ut duro nodo durus quæratur cuneus, confugiendum erit. Jam verò ad fontem pharmaceuticum.

§. III.

Quoniam verò morbus iste impuritates chyli vel ex prima concoctione , vel alio quocunque modo viati quandoque sequitur , duplex oritur indicatio , *EVACUATIO* nimirum primarum viarum , deinde *CHYLI & SANGUINIS DEPURATIO* . Primæ indicationi satis faciunt *VOMITORIA* in principio statim propinata , quorum varia singularis hoc in morbo efficaciæ passim ab Authoribus deprædicantur , inter quæ autem præprimis eminent Mercur. Vit. Croc. Metall. Vitr. Antimon. Vitriol. vomit. seu Gilla Theophr. Sal Vitriol. vomit. Tart. emet. Pulv. Carthusian. sive Alkerm. min. Sulph. Aurat antim. Rad. Asari, Ipecacuanh. &c. quibus varia ac subinde reiterata subjungi possunt *LAXANTIA* atque *PURGANTIA* v. g. ex Rad. seu Resin. Jalap. Scamon. Mercur. d Fibr. Helleb. nigr. Rhabarb. Fol. Senn. & ex his paratis, additis pro rei exigentia salibus variis e.g Crem. & Cryst tart. Arcan. dupl. Tart. vitriol. Tart. solub. &c. minimè quoque neglectis *CLYSTERIBUS* , ut & *V. SECTIONE* pro circumstantiarum ratione quandoque repetitâ. Evacuatis sic primis viis , & depletâ M. sang. ad *ALTERANTIA* descendendum , ex quorum amplissimo apparatu , si cruditatum habeatur ratio , feligenda sunt modo acida v. g. Spir. Vitriol. volat. philosoph. Elix propiet. Paracels. Elix. vitriol. &c. nunc terrea v. g. Corn. Cerv. philos. præp. Ebûr sine igne calcin. Ung. Alc. Corall. Cran. hum. præp. Os. Sep. &c, Salia vel

vel fixa alcalina , v. g. Sal. tart. Nitr. fix. Sal. Card. Ben. Centaur. min Absinth. Artemis. &c. vel salsa , v. g. Liquor terræ fol. tart. &c. vel volatilia, eaque vel urinosa vel acidula vel mediæ naturæ , v. g. Spir. Corn. Cerv. Spir. Sal. Armon. Sal volat. Corn. Cerv. Succin. Flor. Sal. Armon vel simplices vel compos. &c. quæ pro renata partim singula , partim inter se , & cum specificis antepilepticis remixta, in vehiculis convenientibus adhiberi possunt , non neglectis interpositis Catharticis aut etiam Emeticis superiùs jam allegatis. Eorum autem , quæ *SPECIFICA* & occultâ , uti loquuntur , quadam vi Epilepsia creduntur resistere , medicaminum tanta venditatur ubivis copia , ut in recensendis iisdem calamus scribentem , & audiensem aures deficerent ; non enim tantum quilibet ferè Medicorum , sed & omnes , qui illotis quoque manibus sacræ artis mysteriis se immiscent , peculiare sibi eligunt specificum , & nescio quod , ad truculentum hunc affectum debellandum , se possidere arcanum sibi imaginantur atque deblaterant. Nemo itaque à me omnium ejusmodi remediorum expectet catalogum , cum maximè decantatorum & communissimorum tantummodo mentionem injicere animo constituerim. Ex vegetabilibus celebrantur Ruta & ejusdem species, Polium montanum , Angelica , Valeriana , Salvia , Rosmarinus , flores Tiliæ , Lavendulæ , Lilior. Convall. Hyssop. Dentaria , Anagallis , Cerasa nigra , & plura alia. Eminere præprimis dicuntur Lignum Corylinum & Buxinum ,

Viscus

Viscus Corylinus & Quernus, pulvis Julorum Corylinorum tempore verno collectus; omnibus autem ferè præfertur Pœonia, & quidem ex ea, præsertim mare, in usum cedunt Flos, Semen atque Radix externè & internè exhibita. Requirunt autem hic ut certo tempore nunc sole in Leone, nunc in Ariete existente &c. modo ante solis ortum, modo tempore meridiano, mox cum instrumentis aureis argenteisve, mox cum aliis circumstantiis haud raro superstitionem olentibus colligantur. Referri huc quoque possunt sic dicti Carbones seu potius Radices Annosæ Artemisiæ circa Joan. Baptistæ festum in primis reperiundæ, ut & pulvis Lycopodii seu Musci terrestris clavati Augusto mense collectus. Nec inter reliqua Cephalica Nervina atque Aromaticæ desunt, quæ virtute Antepileptica gaudentes allegari possent, sed quæ recensere nimis longum foret. Animalia quoque, haud exigua, ad tam crudele malum profligandum, arma suppeditare videntur. Hic laudat Hirundines, Picas, Corvos juniores combustos, ille Dentes Hippopotami, Apri, Lupi, Lapillos Carponum, Lucii piscis, Spinas Mustelæ piscis, Cornu Cervi, Unicornu verum, Cornu Rhinocerotis, Fel Catuli nigri, Testiculum Apri, Murem calcinatum, Sanguinem Leporis venatione capti & jugulati deprædicat. Alius in Castoreo omnem vim Antepilepticam quærit, alias Lapi Bezoar utrique, Ægagropilæ &c. summas adscribit vires, alias fiduciam in Stercoribus v. g. Pavonis

nis &c. ponit. Alius ad Cornu & Ungulam Alcis in paroxismo præprimis epileptico existentis trucidati, & quidem ungulam pedis posterioris aures scalpentis confugit. Alii denique in ipso Homine necessaria latitare auxilia sibi aliisque persuadent; hinc nunc Ossa Hominis, & in primis Cranium violenta morte interemptorum, maximè autem specificè os Cranii sic dictum Triquetrum & Usneam Cranii Humani ab haud paucis commendari cernes, nunc ipsum Cerebrum laudabitur, nunc Secundinæ præsertim Primiparæ de prædicabuntur, nunc Sanguis Humanus omnibus ex regno animali præferetur; experientia satis loquitur quām frivola, ne dicam stolida quosdam occupet opinio Epilepticis Sanguinem adhuc æstuantem hominis recenter decollati propinantes, ægrumque postmodum cursu maximè exagitantes, & tantopere defatigantes, ut ferè amplius se commovere nequeat, sibi persuadentes Archæum furibundum ideâ mortis sanguini decollatorum impreissâ compesci, & à furore retrahi. Ast quot curati fuère? plures certé nullum exinde experti fuère auxilium, & potius quandoque malum fuit adauertum, imo exempla prostant miserorum hoc modo vitâ privatorum. Quod si aliquando bonus exinde subsecutus fuit eventus, motui potius & sudori illum adscribendum esse forsitan probabilius creditur.

§. IV.

Neque tandem mineralia auxiliatrices denegant manus, Lapidès pretiosi, in primis Jaspis, Smaragdus, Chelidonius quibusdam arrident, aliis verò Succinum atque Crystallus placet. In primis verò in Vitriolo & Antimonio eorumque Sulphuribus omnem medelam nonnulli quærunt. Quid dicam de Cinnabari tam nativâ, à Cratone pro Epilepsia Magnete habitâ, quam artificiali, & præcipue Cinnab. Antimonii. Ne nunc multa verba faciam de virtute Antepileptica Auri, Argenti, aliorumque metallorum. Sed quis cūnia è triplici Regno ad hunc affectum conducentia referret remedia? Quod si ulterius ex simplicibus paratas compositiones lustres, ad invenies nunc Aquas destillatas simplices, Flor. Pœon. Til. Valerian. Ceras nigr. Lil. convall. &c. nunc Compositas Cephalicas Hystericasque, Epilept. Lang. Hirund. cum & sine Castor. Balsam. Embryon. Elix. vitæ Math. &c. Hic tibi se offerent Syrupi Pœon. Acaciæ, Cichor. cum Rhab. Conservæ Flor. Til. Pœon. Lil. convall. Ceras. nigr. &c. commendabuntur mox Pulveres Epileptici March. nig. Küffer. Specif. Cephal. Mich. aliquæ; mox celerabuntur Magisteria Corall. Succin. Margarit. Essentiæ atque Tinct. Corall. Succin. Smaragd. & quæ alia ejusmodi remedia. Præprimis autem magnis extolli laudibus experieris Olea, Salia

& Spir. volat. modò acidæ, modò falsæ, modò alcalinæ naturæ, Spiritum Vitrioli volat. Spir. Vitriol. volat. antepilept. (è vitriolo veneris cum urina humana paratum) Oleum, Spiritum & Sal volat. Succin. Spir. & Flor. Sal. armon. simpl. & compos. Spir. Sal. volat. & Ol. C. C. Liquorem C. C. Succinat. & præcipuè Sal. volat. & Ol. Sang. humani &c. & quæ sunt plurima alia decantata ad Epilepsiam remedia. E quibus meritò adhuc Auri sic diti Fulminantis mentionem facio, illud enim in motibus epilepticis præsertim infantum ad unum aut alterum granum datum mira quandoque præstítisse variorum Virorum sæpiùs repetita comprobat experientia. Quod si arcanorum medicaminum possessoribus patulas aures præbere velis, hic tibi maximopere collaudabit Aurum Potabile, Tinct. Lunæ, Tinct. veram Corall. atque Essent. Margarit. ille maximis extollet laudibus Pulveres Solares, Nigros, Essentias dulces, Olea animalia & similia, quæ quandoque forsitan per accidens aliquid præstítisse non inficias ibo, an autem ad tot miracula, uti quidem fertur, præstanta existant capacia, vix credo, judicent de illis qui ingredientia modosque parandi intimius norunt, mihi ignotorum nulla cupido, neque unquam in animum meum ingrediatur audacia sacrâ fraude miserorum ægrotorum crumenas emulgendi. Sic & Amuleta varia de prædicantur v. g. Pœon. Rad. & Sem. Ungula Alcis, Sambucus supra salicem crescens &c. è quorum tamen usu, si quid boni eveniat, imagina-

ginationi potius ac fiduciæ , quàm eorum facultati id tribuerem. Quod si autem prædicta methodus aliquandiu prorsus incassum tentata sit , ad alias generis remedia , & præsertim ad ista quæ *MAGNA* dicuntur , devenire oportebit , in quorum censu *DIAPHORETICA* , *SALIVANTIA* , *THERMAE* & *ACIDULAE* præprimis ponuntur. Sic *Alphons. Ferr.* plurimos Epilepticos simplici Quajaci decocto bis in die ad unc. 6. vel 8. præscripto , ejusque decocto secundario , vice potūs ordinarii (prout in lue venereâ assolet) assumpto , se curasse affirmat , & salivationem à Mercurio potenter excitatam , succedente postea diætâ sudoriferâ hunc morbum certissime curaturam esse asserit *Willis de morb. convuls. Cap. 3. p. 32.* Denique pro causarum differentia cura quoque varianda , si enim Vermes in causa sunt , ea quæ Vermes enecant atque expellunt admixtis Antepilepticis medicamentis exhibenda sunt , & sic porrò. Possem hic jam varias quoque præscriptionum formulas apponere , verùm quia apud Authores & generalia præcepta , & elegantissima remedia passim extant , prudensque Medicus tum indicationes , tum uberem rei pharmaceuticæ apparatum ad particulares ægrotantium casus facile accommodare potest , prolixior hic esse nolo , sed ad fontem diæticum me confero.

§. V.

Cum autem Diæta in legitimo sex rerum non naturalium usu consistat , superiusque jam , ubi de causis actum est , satis , quomodo illegitimè adhibitæ causam Epilepsiaæ præbeant , dictum sit , ex quibus contrarium per se quoque intelligitur , ideo breviorem me hic in recensendo legitimo earum usu esse licebit . *AER* itaque sit temperatus , purus ac vividus , si non natura talis , arte parandus , & cum *Hippocr. Sect. 2. aph. 45.* per regionum mutationem juvenibus à Comitiali morbo liberationem promittat , peregrinatio quoque ad alia loca commendanda est . *CIBI* sint modici , moderatè calidi ac sicci , facilis concoctionis & digestionis , boni succi , ventriculo grati , ac nullis referti humoribus excrementitiis . Vitentur è contrario cibi frigidi ac humili , coctu difficiles , flatulenti , crassi , vaporosi ac facilè putrescentes , omniaque illa alimenta , quæ peculiari quadam vi Epilepsiam excitare dicuntur . *POTUS* sit vinum tenuē & bonæ notæ , aut cerevisia clara ac benè defœcata , quamvis consultiūs esset à cerevisia & vino penitus abstinere , si nimirum ægri id ferant , & eorum loco decoctum ex Cephalicis & Antepilepticis substituere . *QUIES* & *MOTUS* sint moderati , *SOMNUS* quoque sit nocturnus ac temperatus , & *VIGILIAE* atque lucubrationes in longam protractæ noctem cane pejus

pejus & angue fugiendæ, omnes enim humores redundunt acriores, viresque quam maximè prosternunt. Cunctæ quoque solennes *EVACUATIONES*, cuiuscunque generis sint, semper in statu laudabili & naturali conservandæ, aut si suppressæ, revocandæ sunt. Omnes denique *ANIMI PERTURBATIONES*, ut finiam, quam maximè vitandæ sunt, nisi suâ quis sponte hunc hostem laceſſere velit.

F I N I S.



ILLI

